



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 32. Bellum per Lotharingæ Ducem Burgundo indictum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. lici juris forent, ceteras vero omnes li-
A.C. 1474. bere Friderico relinquere vellet. Ad
 hæc reposuit Imperator, *pellem urso nec-*
dum occiso, seu prædam in antecessum divi-
dere, ridiculum esse. Cum autem Ludo-
 vicus XI. potissimum eo tempore time-
 ret, ne Burgundo Anglis juncto sibi tota
 belli moles incumberet, in eundem no-
 vos concitavit inimicos, Lotharingæ
 Ducem, Sigismundum Austriacum,
 Helvetios, & Imperii urbes ad Rhenum
 sitas.

§. XXXII.

Bellum per Lotharingæ Ducem Bur-
gundo indictum.

Commin.
lib. 4. cap. 2.

Lotharingæ Dux, cujus hic mentio-
 nem facimus, erat Renatus Ferri
 seu Friderici Valdemontii Comitis Filius,
 & Nepos Renati Siciliæ regis, qui eidem
 Lotharingæ Ducatum cesserat, eoquod
 ille hæreditatis portio esset Jolandæ Ma-
 tris suæ, necnon Isabellæ de Lotharingia
 aviæ suæ, quæ Renati Siciliæ Regis
 conjux erat. Juvenis hic Princeps qui-
 dem firma satis adhuc pace cum Burgun-
 do fruebatur; cum vero eum minime la-
 teret, quod Burgundus varie quæsito ob-
 tentu ejus ditiones occupare moliretur,
 hinc ad id stimulante Ludovico XI., co-
 pias suas in aciem eduxit, bellumque
 Bur-

Burgundo nunciavit, hancque in rem fe-
 cialem Novesium misit, demum in Bur-
 gundiam populabundus excurrit, & Pe-
 trafortem munitissimum quoddam castel-
 lum secundo lapide Nancejo, quod Lo-
 tharingiae caput est, diffitum occupat, ac
 penitus solo æquat. Nec tamen inde
 Burgundus animo fractus, Novesii obsi-
 dionem solvebat, sed omnibus, qui ei
 exponebant, quod exercitus animo &
 numero exhaustus, & Provinciae ejus
 fœde devastatae, ac præter annonam ad-
 vehendi difficultatem expensæ, quas su-
 finere cogeretur, ferme immensæ essent,
 nihilominus Dux cunctis intrepide re-
 spondit, agi de honore suo, nec se sine
 suo dispendio obsidionem solvere posse,
 etsi ea solidum adhuc annum teneret,
 proin potius paratum se esse ante Novesii
 moenia mortem oppetere, quam a cæpto
 desistere.

§. XXXIII.

*Sigismundi Austriaci irruptio in
 Ferretanum Comitatum.*

Alter adhuc hostis Sigismundus Au-
 striæ Dux Burgundo instabat. Hic
 acceptis centum florenorum millibus ei-
 dem Ferretanum Comitatum pignori re-
 linquebat; cum vero Sigismundus prole-
 careret, ac in luxum immoderatus effu-
 sus

Sæcul. XV.
 A.C 1474.

Pierre-forte